



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crvcifixvm**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

Protestatio Moritvri Amatoris Christi Crucifixi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

PROTESTATIO

4. Fere Manum dexteram, & altera sui parte
Clauum.

5. Habeat hinc Cor, inde Lanceam.

6. Vulnera omnia stillent quasi sanguine.

INspice Vulnera pendentis, Sanguinem Mori-
entis, precium redimentis. Hæc quanta sit co-
gitate. Hæc in Statera vestri cordis appendite: ve-
rorus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus
est affixus in Cruce.

S. August lib. de Virg.

PROTESTATIO MORITURI AMATORIS CHRISTI CRUCIFIXI.

EGO peccator indignissimus, redemptus pre-
ciolo Sanguine Domini nostri IESU CHRISTI
CRUCIFIXI, palam profiteor, me sincero corde
ignoscere omnibus, qui quouis modo mihi iniu-
riam, vel molestiam aliquam vnquam intulerunt:
& humiliter rogo, tam præsentem, quàm absentes,
omnes, vt mihi vicissim ignoscant, & dimittant,
si in aliquo eos offendi.

Agnosco me hætenus nō vixisse purè, nec sanctè
coram Domino, sicut viuere debueram: agnosco
scelera mea multa uimis: agnosco culpas, & negli-
gentias meas infinitas. Agnosco quicquid mali per
om-

MORITURI AMATORIS.

omnem vitam commisi, & supplici mente, coram
CRUCIFIXO, à misericordissimo Domino Deo
Nostro veniam peto: dolens, quod vnquam eum
offenderim, & proponens deinceps vitare pec-
cata.

Quamuis autem grauius & multis modis ha-
ctenus deliquerim, non tamen diffido de omni-
potenti, & benignissimâ misericordia ipsius Re-
demptoris mei: sed spero me per meritum PASSI-
ONIS, CRUCIS, & MORTIS eius, non autem ita per
merita mea, participem futurum æternæ vitæ,
atque hæreditatis. Ego CRUCEM, & PASSIONEM
eius sacratissimam pro refugio, munimentoque
tutissimo habeo. Ego eam inimicis meis, inuisi-
bilibus, semper & vbique, tanquam Armaturam
inexpugnabilem obijcio. Eandem Sanctissimæ
TRINITATI, pro meritis, quæ mihi desunt, & pro
perfectâ satisfactione de peccatis meis offero.

Credo in DEVM Patrem Omnipotentem, Crea-
torem cœli & terræ: & in IESVM CHRISTVM Fili-
um eius Vnicum Dominum Nostrium. Qui con-
ceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA
Virgine. Passus sub Pontio Pilato. CRUCIFIXVS,
mortuus & sepultus. Descendit ad inferos. Ter-
tiâ die resurrexit à mortuis. Ascendit in cœlum.
Sedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis.
Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam
Catholicam, Sanctorum communionem, Remis-
sionem peccatorum, Carnis resurrectionem, &
vitam æternam Amen.

Pro-

PROTESTATIO MORITURI AMATORIS,

Protestor me credere vniuersa, quæ Fides catholica continet, & quæ à veris, orthodoxisque Christi fidelibus credenda sunt.

Quod si vel impugnatione Diaboli, vel violentia morbi pressus, aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem: iam illud reuoco: & contestor me nullo modo consentire talibus cogitationibus; verbis, aut operibus.

Gaudeo & gratias ago, misericordissimo Creatori, & Saluatori meo IESU CHRISTO CRUCIFIXO, cuius ineffabili pietate, me in sancta fide Christiana moriturum confido. In manus CRUCIFIXI mei Domini sanctissimas, animam, & corpus meum, nunc, & in horâ mortis meæ commendo.

Sott. in gen. Paderb.

S.

D.

I.

H.

E.

G.

